

li consumeretur, nisi subinde per sumptionem cibi
 & potus insauraretur. Sic infirmitas naturæ no-
 stræ, tentationumq; uarietas facit, ut ad conserva-
 tionem uitæ spiritualis, non satis sit, semel audisse
 uerbum Dei, nisi crebro audiatur. Ob eam cau-
 sam, cum uiderim uos ea, quæ ex ecclesiastæ præ-
 posueram, alimenta auide degustasse, operæpre-
 tium uisum est, etiam alios cibos apponere: Sic enim
 mandat Dominus: Omnis scriba doctus in regno
 caelorum, similis sit homini patrifamilias, qui pro-
 fert de thesauro suo noua & uetera. Et quidem
 in promptu est, quod apponi possit: Omnis enim
 scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docen-
 dum, ad arguendum, ad erudiendum in iustitia,
 ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum in-
 structus. Verum illud me aliquo modo incertum
 reddat, quod uideam uos non similiter affectos,
 nec eadem appetere. Quod si eam discretionem
 adhiberemus spiritali conuiuio, quam corporali
 adhibemus, non opus esset huiusmodi admonitio-
 ne. In externis siquidem paterfamilias facturus
 conuiuium amicis, etsi nesciat, quid quenque iu-
 uet aut delectet, studet tamen pro uiribus, quæ sibi
 optima uidentur apponere: sperans fore, ut &
 ipsis placeant: e contra quilibet inuitatus, etsi ne-
 sciat quales cibos pater ille familias instruxerit, ni-
 hil tamen non magnum sibi pollicetur, seque egre-
 gie refocillandum sibi persuadet. Quod si quid
 apponitur sibi contrarium, non ob id statim surgit,

Matt. 13

2 Tim. 3.

212